

légué à soixante abbayes de l'ordre 6.600 livres, pour la célébration de son anniversaire, soit soixante livres à chaque abbaye ¹⁷⁾).

Ces quelques faits notés au hasard des rencontres montrent à suffisance que des recherches méthodiques ne manqueraient pas de donner d'intéressants résultats sur les rapports de saint Louis avec les prémontrés.

A. DIMIER, O.C.S.O.

Abbaye N.-D. de Scourmont

B 6843 Forges (par Bourlers).

**Litterae abbatis Steingadensis, Augustini Bonenmayr,
abbati Wiltinensi,
Dominico Loer, relate ad Capitulum generale anni 1660.**

Praeside abbate Praemonstratensi, Augustino le Scellier, anno 1660, diebus 25 aprilis usque ad 6 maii, celebratum fuit Praemonstrati Capitulum generale. Ex Actibus Capituli, sicuti in ms. Nancy 994, foll. 228b-250a, aut ms. Laon 538, foll. 775-841, referuntur, apparet Capitulum istud viginti duas sessiones publicas habuisse. Iuxta eosdem Actus, 26 Abbates et 46 alii Religiosi, variis functionibus in Ordine fungentes, Capitulo isti interfuerunt.

Ex Circaria Bavarica, uti tunc constituta erat, unus interfuit : abbas Dominicus Loer, abbas Wiltinensis annis 1651-1687. In Actibus Capituli (l.c., Nancy, fol. 228b), ita designatur : R^{dus} D^{nus} Ludovicus Loer, Abbas Wiltinensis, a Bavaris deputatus.

Vicarius Circariae Bavaricae, annis 1653-1666, erat Augustinus Bonenmayr. In Capitulo generali a. 1660, (l.c., fol. 249 a), ita de ipso dicitur in catalogo eorum qui a Reverendissimo D. Praemonstratensi in Vicarios suos nominati fuerunt : R.D. Steingadensis.

Abbas Steingadensis, Bonenmayr, ipse non interfuit Capitulo generali anni 1660. Uti ex Actibus ipsius Capituli novimus, abbas Wiltinensis a Circaria Bavarica deputatus erat ut vice et nomine totius circariae Capitulo interesset. Abbas Steingadensis autem, paulo ante coeptum Capitulum, epistolam misit abbati Wiltinensi, Dominico Loer. Quae epistola, asservata in arch. Wiltinensi (Lade 7. G.1), haec continet :

¹⁷⁾ *Item donamus et legamus sexaginta abbatiis Praemonstratensis ordinis sex millia et sexcentas libras pro anniversario nostro faciendo, scilicet cuilibet abbatae sexaginta libras.* — Testament de Louis VIII, dans A. TEYLET et J. DE LABORDE, *op. cit.*, t. II, p. 55.; n° 1710; et *Recueil des Histoires de Gaules et de la France*, t. XVII, n° 13.

Abbas Augustinus Steingadensis ¹⁾, abbati Dominico Wiltinensi ²⁾, quaedam puncta tractanda in proximo Capitulo Generali 1660 communicat.

Adm. Rde Amplissime Domine Praelate, D. Confrater Colendissime, Nuper necessitatem existimavi fore, ut R. Dominatio vestra apud Dominum Baronem colloqui adhuc semel convenirem; sed antiquum illud: homo proponit, Deus disponit, victoriam veritatis reportat; ecce enim cum hoc constituissem et aliud in dubium verterem, an non consultum foret me individuum totius intenti itineris Comitem adiungere, et hunc modum Deus exsolvit, ut modo indubius sim, quia manibus pedibusque ligatus, Numine disponente, in dolorosum strati mei igneum quasi carcerem relegatus haereo, indesinenter ex imo suspiria trahens. Sic quod fraterna coram salutatione et prosperum vale dicendo non valui peragere, alienae manui R. Vestrae Dominationi hoc Monitorium dictare volui. Antea cum scripseram consentaneum futurum, ut secum descriptionem postremi nostri Capituli Provincialis ³⁾ habeat, in quo praeter modificationes factas, aliquot a Rmo Dno Generali Capitulo Generali ad deliberandum reservati sunt. Deinde et Synopsim Capituli Generalis ubi ipsamet R. Vestra Domina-

¹⁾ Abbatia Steingadensis, seu Stingadensis, pertinebat ad Circariam Bavaricam, et sita erat in dioecesi Wirceburgensi. Annis 1645-1675, Augustinus Bonenmayer abbas erat illius Canoniae. Idem Bonenmayer Vicarius Abbatis generalis erat Circariae Bavariae. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949 ss., p. 52. 37.

²⁾ Dominicus Löhr seu Loer, abbas fuit canoniae Wiltinensis (Innsbruck) annis 1561-1687. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. I, p. 55. — Per aliquot menses, currente anno 1639, commoratus est in Collegio Norbertino in Urbe Roma, fundato anno 1625. In Catalogo Nominum et Ordinum omnium alumnorum et aliorum Ordinis Praemonstratensis, qui habitaverunt in hoc Collegio, asservato in archivo abbatiae Tongerloensis, ita de eo scribitur, sub anno 1639: « fr. Dominicus Loër, convictor. Venit Romam 18 ianuarii 1639, natus in Tirol. Professus in Wilthau, ordine sacerdos, pedagogus quondam illustr. comitum. Vir doctus et integer. Lector Reticus quandoque, etc. Rediit ad suos la Maii 1639 ». De facto tamen, non statim ad suos reversus est; immatriculatus enim fuit, anno 1639, apud universitatem Perusiensem (Perugia). Non constat ipsum in hac universitate gradu academico fuisse ornatum. Postea, abbas Wiltinensis, validum influxum exercuit occasione foundationis universitatis Oenipontinae (Innsbruck). Cfr. A. Haidacher, *Ein Gnadenstreit aus dem Beginn des 18. Jahrhunderts*, in *Anal. Praem.*, XXXI, 1955, p. 106; *Studium und Wissenschaft im Stifte Wiltten in Mittelalter und Neuzeit*, in *Veröffentlichungen des Museum Ferdinandeum in Innsbruck*, XXXVII, 1957, p. 75; XXXVIII, 1958, pp. 9-12.

³⁾ Hoc Capitulum celebratum fuit anno 1659. Et quidem in canonica Osterhoviensi. Inter alia, de ordinandis studiis ecclesiasticis communibus Circariae tractavit. Cfr. A. Haidacher, l.c., XXXVIII, 1958, p. 57 s.

tio relegendo haud dubie inveniet, quae clarius ad comprehendendum mentem Capituli explicari debeat. Ego quidem in informationibus meis circa ista incidenter adm. Revmum D. Generalem in quibusdam numeris horum aliquorum memini; nihilominus tamen specialiter videtur meminisse: 1º. Communis studii. 2º. Talliarum, quia in designatione talium cuilibet Monasterio et Bavariae et Sueviae, Bibliotheca Praemonstratensis ⁴⁾ iniungit duos florenos. 3º. Sustentationis R. Dni Procuratoris Romani ⁵⁾, cui e nostra Circaria Bavarica his tribus annis persolvimus annuatim 15 scuta sive 30 nostratum florenorum, an se hoc debitum in tantam summam respectu nostri extendat? 4º. Sub litt. A videre habet, quod cum apostata laico Salvatorensi nuperrime constituerim. Sub litt. B habet Commissariatus sui copiam, cui propter distantiam locorum, tum propter infirmitatem meam nequivi de manu singulorum DD. Praelatorum, et communi sigillo robur addere, sed in vices solum mea manu et sigillo, veritatis testimonium adstruere volui. De Iuramento quoad me, ut faciat minimum difficultatis superest. Novit de caetero in ipso Provinciali Capitulo celebrato summam difficultatem aliorum fuisse super expensis itinerarii. D. Osterhoviensis ⁶⁾ vero speciatim super prolixitate itineris. 5º. Hisce diebus in manus meam incidit ex improvise littera concernens B. nostri Iosephi relationem in Catalogum Sanctorum ⁷⁾; forte non

⁴⁾ Agitur de tallis a singulis monasteriis gubernio centrali Ordinis solvendis pro vindicandis iuribus Ordinis in genere.

⁵⁾ Singula monasteria solvere debebant summam determinatam pro iis quae necessaria erant ad hoc ut Procurator generalis Ordinis Romae ministerium suum apte et decenter exequi posset.

⁶⁾ Annis 1630-1672, Christophorus Dimpl abbas erat Osterhoviensis. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 45.

⁷⁾ Ex Actibus Capituli Generalis, prout in ms. Laon 538, pp. 672-678; 775-841, referuntur de relatione S. Hermanni Iosephi in Catalogo Sanctorum quidem explicita mentio non fit; quaedam elementa huc spectantia tamen adsunt. Quae hic rescribimus. In sessione sexta Capituli generalis anni 1660 (l.c., p. 793): «Item, ad quaestionem an Breviario Ordinis Praemonstratensis imposterum inseri debeant officia Sanctorum Ordinis Praemonstratensis? Respondit Dominus Abbas S. Michaelis Antverpiensis (Norbertus van Couwerven, successor I. Chrysostomi Van der Sterre) quod in sua Ecclesia celebrantur festa Sanctorum Frederici, Godefridi, Siardi, Hermanni, Gerlaci, Gilberti, et Gertrudis, et se habere fundamenta, cur celebrentur, et in sequenti sessione se exhibiturum Capitulo, et ita Capitulum resolvit differendam esse diffinitionem». — In sessione octava eiusdem Capituli, de eadem quaestione actum fuit (l.c., p. 803); Acta Capituli hoc modo tractationem habitam referunt: «Item Revdus Dnus Macarius Simeomo, Vicarius coenobii Venerabilis Sacramenti Antverpiae, petiit ordinari et mandari ut in Ordine celebrarentur festa Sanctorum Ordinis, videlicet Gerlaci, Gertrudis, Frederici, Hermanni, et Godefridi, cum sit de iis par ratio quam de sancto Gilberto. Siquidem S. Gerlacus etiam publicum officium habet in dioecesi Ruremundensi, cum

abs re fuerit necessarium Rdo Dno Generali producere. Demum fasciculum concludo, qui ratione Vicariatus mei continet, potissimum propter quosdam excitatos tumultus Neocellensis ⁸⁾ et Gryphensis ⁹⁾

S. Gilbertus in dioecesi claromontensi. De S. etiam Gertrude facta est a Clement sexto potestas celebrandi officium per modum festi 2ae classis, cum collatis indulgentiis. Si vero Siardi reliquiae sunt, auctoritate Clementis octavi, solemniter elevatae per Episcopos Ruremondensem, Antverpiensem et Boscudocensem, publicae venerationi expositae; S. Hermannus Ioseph ab immemoriali tempore et per Germanias colitur publico ritu. Cum publica veneratione Warnerus, episcopus Monasteriensis, levavit reliquias S. Godefridi; et haec omnia clare patent ex libello manuscripto qui datur, in quo sunt fundamenta et rationes, cur totus Ordo Praemonstratensis posset publice dictos Sanctos colere, et Breviario inserere. — Capitulum dictum libellum commisit Revdo Abbati Mussipontano (Nicolao Guinet) et Rev. Patri Cailleu, priori Praemonstratensi, S. Theol. Doctoribus, et R. Patri Iohanni Luckenradt, priori Merensi examinandum».

⁸⁾ Agitur de canonia Neustift, in civitate Frisingana. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, I, p. 42. — Quenam difficultates precise tunc exortae fuerint in illa canonia, ex Actis Capituli generalis anni 1660 substantialiter constat. Duo nempe canonici Grimbergenses, Van Wemmele et Van Dale, in monasterium Neocellense missi fuerant; inter quos Van Wemmele munere prioris fungebatur. Usque dum abbas Urspergensis, Matthaeus Hegenrieder, pater-abbas Neocellensis, eos remiserit ad propriam canoniam Grimbergensem. Tractatum est de hoc negotio in Capitulo anni 1660, in sessione nona hac ratione: «Item, lecta fuit supplicatio Venerab. Patrum Van Wemmele, nuper Prioris in Nova Celle prope Frisingam, et Pauli Van Dale, Grimbergensium Canonicorum, tendens ad hoc, ut Capitulum dignaretur deputare Patres qui examinent scripturas Capitulo datas, et videant an ipsi e monasterio Grimbergensi ad monasterium Neocellense et in Bavariam requisiti et missi, potuerint postea eici a Rdo Dno Matthaeo, Abbate Urspergensi, Patre-Abbate monasterii Novae Cellae, propterea quod linguam Germanicam non bene calluerint, de quo defectu non erat apud Patres Bavaros antequam vocarentur ignorantia. Lecta autem eius supplicatione, Rdus Dnus Sorethanus (Augustinus Arzet), nomine Revdi Dni Urspergensis luculenter discurrens Capitulo exposuit quod magnus sit apud Rev. Dnos Bavaricos dolor, quod aliqualis orta sit, propter dietos supplices, inter Revv. Domm. Brabantos et Bavaricos altercatio; se nomine Bavarorum precari Brabantos ut eiusmodi altercatio in discordiam non degeneret, memoratos supplices non fuisse propter aliquod crimen, aut alicuius criminis suspicionem ad monasterium Grimbergense remissos, sed propter maius bonum; et se humiliter supplicari Patribus Capituli ut signanter advertere dignentur Ordinem pessum ire, si Praelati in singulis suis ordinationibus ad apices iuris respicere deberent, et si quilibet Ordinis officarius et obedientiam habent nominatam, sibi persuaderet se non posse ab officiis et obedientia absolvi, ut meliorem eius loco constituat, nec permittendum esse ut quis de eo dubitare valeat, nisi Capitulum velit omnia turbare et confundi, non aliter factum esse, prout ex scripturis Capitulo praesentatis liquere potest. Praeterea se etiam orare ut deputentur examinatores qui referant. Tum Rdus Dnus Grimbergensis (Carolus de Velasco) pauca locutus dixit se iustitiam administrari petere; interim non videre verum suos religiosos fuisse bene habitos, utpote quibus denegata sit unius noctis pernociatio». (Ms. Laon 538, p. 805). — De eadem questione tractatum fuit in eodem Capitulo, in sessione decima quinta. Quod hac ratione referunt Acta Capituli: «Commissione Rmi Generalis incoepit sessio haec, praesidente R.D. Nicolao Ledé, Abbate S. Andreae in Nemore, et Vener.

Ecclesiae, quem strictius compilare ob in illo contentas necessario scripturas non potui. Quem tamen quia primario Vicariatum meum concernunt sicuti fusius inferius Rmus Generalis a me docetur. R.V. Dominatio custodire diligenter et Rmo D. Generali contradere dignetur. Plura mei corporis dolores non permittunt, sicuti iam precatus sum cum foelicissimo paschali tempore reprecor optimum Custodem, qui iuniorem Tobiam in periculis conservavit, et R. Dominationem Vestram ducat et reducat in viam pacis et securitatis ad patriam.

Addictissimus in Christo, Confrater et servus :
Augustinus ABBAS.

Steingadii, 30 Martii 1660.

Adm. R. ac Ampl. Dominstionis vestrae J.B. VALVEKENS, O. Praem.

Pater Paulus Van Dale, supra nominatus canonicus Grimbergensis, ad repetitam negotii Neocellensis discussionem, respondit ad puncta quibus R.D. Urspergensis iustificare intendebat se supradictos ad suum Grimbergense Monasterium remississe, et concludendo supplicavit ut Capitulum dignetur declarare quod D. Urspergensis non potuerit eos turpiter eicere sicut fecit, quodque ipsi Georgius (Van Wemmele) et Paulus (Van Dale) sint innocentes et religiosi boni nominis et famae, et rogavit ut iudicet Capitulum de facto D. Urspergensensem, qui litteras, ut in postrema sessione explicatum est, extorsit et retraxit. Addidit D. Grimbergensis, se supplicare tamen ut R.D. Urspergensis condemnatur ad reparationem famae suorum religiosorum et ad expensas itineris; Capitulum definivit ut duobus dictis fratribus Georgio et Paulo exponentibus communicentur scripturae a R.D. Urspergensi ad Rmum D. Generalem vel Capitulum Generale transmissae, ut ad eas sedente Capitulo respondeant in scriptis, et ut eorum responsio transmittatur ad R.D. Abb. Steingadensem ut Capituli generalis hac in parte commissarium, qui dictam responsonem communicet R.D. Urspergensi, cum mandato et potestate eum compellendi, ad respondendum in scriptis, in manibus eiusdem commissarii, qui postea tam dictorum Georgii et Pauli quam R. Urspergensis responsiones ad Rmum D. Praemonstratensem (Le Scellier) sub suo sigillo clausas remittat; et ipse D. Praemonstratensis visis actis et responsis supra petitionibus praedictis definitive iudicet. Definivit etiam religiosos ad aliam Ordinis Ecclesiam auctoritate Rmi D. Praemonstratensis vel Capituli generalis missos, non posse inde a quocumque dimitti nisi ex consensu Rmi Dni Praemonstratensis, vel Capituli generalis, nisi enorme crimen, quod celari non posset, intercurreret». Ms. Laon 538, p. 822.

⁹⁾ De difficultatibus exortis in monasterio Gryphensi (Griffen), haec referuntur in Actis Capituli generalis anni 1660: «Item, Rdus Pater Iohannes Luckenradt, Prior Merensis, exposuit et conclusit ut Coenobio Gryphensi in Carinthia et dioecesi Bambergensi constituto, in ad alienas manus veniendi periculo posito, consuleretur; Capitulum commisit et committit Rdo Dno Plagensi (Martino Greysing) in Austria, omnimodam eius et Gryphensis curam cum potestate visitandi, toties quoties expedire iudicaverit, mittendo suos aut alios Ordinis religiosos ad dictum Gryphense coenobium, ibique eos manere faciendi, et reformationem atque bonum regimen introducendi, implorato, etiam, si opus sit, consilio vel auxilio Vice-Domini Ecclesiae cathedralis Bambergensis, Domini Bernbach». Ms. Laon 538, p. 822.